





1729, 18


20

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



27
24107

Ngerere se connubio, est, duro se adstringere vinculo, nullâ nisi extremâ die solvendo, in quo multis è spinis sunt legendæ rosæ; decens itaque est, ut cum majori deliberatione ineatur matrimonium, & ut id præcedant sponsalia, quæ sunt *mentio* & *repromissio futurarum nuptiarum*. *L. 1. ff. de sponsal. can. Nostrates 3. XXX. q. 5.* Dicitur *mentio*, promissio enim merè interna non sufficit, sed debet illa vel per verba, vel alia signa consensûs manifestativa esse expressa, sponsalia enim numerantur inter contractus humanos, qui ultrò citròque obligationem pariunt ex justitia, non tantùm ex fidelitate, ita ut una pars alteri injuriam irroget, primis adhuc sponsalibus stantibus, alia contrahendo, imò invalidè contrahat, non obstante, quod posterioribus juramentum accedat, quia hoc sequitur naturam contractûs, nec obligat ad peccatum. *Philip. Braun. in princip. jur. Can. ad Decretal. de Sponsal. & Matrim. in pr.* Necessè igitur est, ut unus alterius animum intelligat; intentio enim in mente retenta in iis nihil operatur. *L. cum plures 60. §. locator. ff. locati. ac proin-*

proinde, qui liberè aliquid promisit alteri, actu merè interno, possit id revocare ante acceptationem alterius. *Pirhing. ad Decretal. de Sponsal. §. 1. & 2.* Dicitur *& repromissio*: quia debet esse mutua & reciproca, quorum enim unum futurum est corpus, unus quoque debet esse animus. *Can. de nepris 3. XXXI. q. 2.* Unde, si Titius promisit Sponsalia Cajæ, & hæc promissionem accipit sine repromissione, neuter obligatur, cum enim hic contractus sit onerosus & reciprocus, non potest claudicare, sed involvit conditionem: *si repromiserit*, & actus agentium non operatur ultra intentionem eorum. *L. non omnis. 19. ff. de reb. credit.* hinc, si de alia intentione promittentis pateat, veluti, si Titius promitteret futurum matrimonium absolute liberaliter & gratuito, forte ob memoriam beneficii ab ea accepti, tunc hac acceptante promissionem, nec repromittente, solus Titius obligatus erit, ad ducendam Cajam, non vi sponsalium; quia non sunt, sed tantum vi propriæ suæ à Caja acceptatæ promissionis, quæ potest esse & obligare ex parte unius, manente altero immuni ab obligatione. *Pirhing. dict. §. 1. n. 3.* ut autem mentio & repromissio futuri matrimonii sit obligatoria, requiritur in personis contrahentibus deliberationis, & interioris consensus capacitas, sponsalia enim sine plena deliberatione & consensu consistere nequeunt. *Cap. 26. X. de Sponsal.* Hinc pro infectis habentur, nec publicæ honestatis impedimentum producant sponsalia inter infantes contracta, vel à majori cum infante, tametsi Parentes, aut Agnati eos sponsonderint, nisi post septennium per consensum expressum, vel tacitum rata habeantur. *Can. un. XXX. q. 2. cap. un. in pr. de despons. impub. in 6. cap. 4. & 5. X. cod.*

X. eod. cum infantes consensum præstare nequeant. Insuper invalidè sponsalia ineunt furiosi, infani, amentes ac mente capti, durante furore, infaniâ, seu dementiâ, sive ipsi inter se, sive cum aliis ratione utentibus contrahant. *L. 8. ff. de Sponsal. cap. dilectus 24. eod. Can. neque furiosus XXXI. q. 2.* Aliud est, si sanè mentis existens, seu tempore dilucidi intervalli contrahat: tum enim sanæ mentis contraxit, ita ut sponsalia vel matrimonium, non reddantur invalida, licet postea furor superveniat. Attamen differentia est inter matrimonium initum & sponsalia; nam hæc furore superveniente possunt dissolvi, furor enim superveniens est causâ, quâ prævisâ, alter non inivisset sponsalia: matrimonium autem semel contractum non dissolvitur, quia casus fortuitus nocet domino, & infortunium conjugis unius, alteri conjugi. Porro sensibus destituti, ut surdus tantùm, vel mutus tantùm, imò etiam surdus simul & mutus à naturâ possunt validè contrahere sponsalia, vel matrimoniam. *Cap. cum apud 23. X. de Sponsal. Pyrbing. dict. §. 2. n. 11.* ubi ratio additur, cum, quod verbis non potest, signis valeat declarare. Quod etiam probat allegatus Pyrbing inquires: nam sæpe tales homines sunt satis perspicacis, & acuti ingenii, ut signis edoceri possint, quid sit matrimonium, & nutu, vel signo declarare consensum: probat id etiam à pari, tales possunt confiteri, & à peccatis absolvi: ergo. Sed si talis simul esset cæcus? negant talem ad contrahendum matrimonium esse habilem, eò, quod ne quidem per signa possit instrui, quid sit matrimonium, cum illa videre nequeat. Pyrbing tamen ait *dict. n. 11.* id moraliter loquendo, & ordinariè esse verum, addit tamen

tamen dubitative, etsi fortè physicè loquendo non sit impossibile, ut surdus, mutus, & cœcus ob ingenii perspicaciam solâ ratione naturali cognoscat rationem sacramenti matrimonii. Unde apparet, quod non sit absolutè necessarium, ut consensus exprimatur per verba: Si verò contrahentes loqui possint, videtur Ecclesia præcipere, & requirere verba, ut illa sit de consensu magis secura in foro externo, certior enim ex verbis, quàm aliis signis est probatio *per cap. Tuæ paternitati 25. X. de Sponsal.* in verbis: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum: sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum experimentia de presenti.* Quod confirmatur ex *capit. licet 3. de sponsa duorum ibi.* Quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expressè recipiat. Quod & consuetudo probat. Dum autem requirantur verba, non requiritur, ut ista necessariò voce articulata exprimantur, sed sufficiunt etiam per literas, vel per nuncios expressa: quia hi quasi instrumenta maximè in matrimonio tanquam favorabili sufficienter consensum exprimunt. Unde sponsalia & matrimonium etiam inter absentes iniri possunt, per literas, nuncium, aut procuratorem ad hoc idoneum speciale mandatum habentem, ob magnum, quod ex facto tam arduo imminere posset periculum. *Cap. ult. de Procurat. in 6.* Sponsaliorum autem contractus de futuro videtur esse de jure gentium, cum perficiatur solo consensu *L. 4. ff. de sponsal.* & quòd antiquitus etiam apud populum Israel, ac in primitiva Ecclesia, imò apud saniores Ethnicos sponsalia aliquantisper matrimonium præcesserint, ut colligitur ex *Deuteron. 20. v. 7.*

*Jud. 14. v. 8. Matth. 1. v. 19. c. 35. S. apparet. C. 39. XXVII. qu. 2. c. 3. XXX. q. 5. L. questum 9. ff. de spons. congruâ sanè ratione, ne conjuges effreno impetu in matrimoniam quasi irruisse videantur; Et si fortassis aliquid sub- sit, quod conjunctionem impediât, id tempestivè re- moveatur, aut si removeri nequeat, matrimonium in- hibeatur, hâc etiam de causâ trinæ quoque denuncia- tiones præmittuntur, quæ non nisi propter sponfos de futuro fiunt. Nulla tamen lege reperitur præceptum, ut sponsalia de futuro necessariò præcedant matrimo- nium; est tamen decens, ut præcedant, sicut colligitur ex *Can. 1.* in verbis: *ab iis, à quibus custoditur, uxor petatur.* Et *Can. 3.* in verbis: *post sponsalia. XXX. q. 5.* Id tamen ad substantiam matrimonii præcisè non de- sideratur, sed sponsa statim in domum deduci potest. *Cap. 9. X. de sponsal. dict. L. Questum.* Ibi: *Si verò spon- salia non præcesserint. ff. eod. Novell. 74. c. 5.* Ita hodie Magnates & milites quidam, solent statim copulatio- nem petere. Item concubinarius in agone constitu- tus, illico & absque sponsalibus ducit concubinam, ut legitimetur proles. Olim quoque Alexander Magnus absque ullo sufflamine, & omis- sis sponsalium ambagi- bus, inter ipsas fumantes convivii Patinas sibi Virgi- nem Proxanen matrimonio junxit: *Q. Curtius libr. 8. cap. 4.* Quæ desuper hic notatu digna, prolixius de- ducet, occasione *dict. L. 1. ff. de sponsal.* quam pro le- ctione cursoriâ elegit,*

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DN. JO. CAROLVS Reichelt/

In lucem editus XIII. Febr. MDCCV. Steindœbrâ, in Va-
riscîâ.

risciã. Patrem habet CHRISTOPHORVM REICHELT,
quondam Administratorem Officinæ Vitriaria, nunc Steindœbræ; Matrem verò MARIAM CHRISTINAM natam
VNGERIAM, *Eibenstochensem.* Hi Parentes sui curârunt,
ut sacri fontis lavacro ablueretur, & nomine JOANNIS
CAROLI insigniretur, nec non legitimè educaretur, insu-
per operam dederunt, ut ad liberales artes, dignasque in-
genio homine doctrinas animum mentemque applicaret,
hunc in finem in scholam Eibenstochensem cum mise-
runt, ubi per octo ferè annos illius loci Recloris, JOANNIS
CORNELII VOGELII eximiã in humanioribus literis do-
ctrinã, usus. Porro Mense Julii anno MDCCXIX. con-
sensu Parentum, aliorumque Plaviam Varisc. abiit, & do-
ctrinam, quam antea hausit, magis magisque illius loci CR.
M. PETRI, & imprimis Recl. M. BIRCKHANNII peculiari
disciplinã, & diligenti instructione, morum literarumque
elegantiã, quã per integrum sexennium frui, ei fuit conces-
sum, amplificavit atque auxit, donec tandem dignus ju-
dicatus fuerit, ad altiores Musarum sedes proficiscendi, qua-
re Mense Augusto anno MDCCXXV. Vitebergam se con-
tulit, & in tabellas Academicas ibidem receptus, collegia Phi-
losophica & Juridica, imprimis verò privata, Illustr. JOAN-
NIS BALTHASARIS WERNHERI, Ordinarii, & JOAN-
NIS FRIDERICI WERNHERI, quibus in jurisprudentia
perfectum suum, post Deum se debere proficitur, privata,
publica autem, magnificorum virorum GEBHARDI CHRI-
STIANI BASTINELLERI, LVDOVICI MENCKENII,
KEMMERICHII & HANACCII frequentavit; peracto-
que ibidem fermè quadriennio, Examini Facultatis Juridicæ
Vitembergenfisi, quod lex Saxonica à futuro causarum
Patrono exigit, se submitit, in quo dignus judicatus fuit,
cui potestas fieret causis in foro orandi, attestante præ-
laudatã Facultate die XXII. Martii anno curr. sequentibus
verbis: *Profitemur his tabulis, quod Joanni Carolo Reichelt, Ei-
benstoch. Misnico, nihil eorum destit, quæ mandatum Regium de XII.
April. MDCCXXIII. datum, à Candidato præceos requirit, idem-
que ad specimen ex actis elaborandum, & examen in consessu Col-
legii*

legi nostri admissus talem se præstiterit, ut cum OMNINO DI-
GNVM judicemus. cui potestas fiat, causas in foro orandi. Obla-
ta igitur hoc testimonio Potentissimo Poloniarum Regi &
Serenissimo Saxonum Electori, ad supplicem petitionem
per speciale rescriptum Regium impetravit, ut à Præfecto
urbis Vitembergenfis acta ad elaborationem speciminis
illius, quod alias Dresdæ in conspectu Consilii Aulici
confici debet, exhiberentur. Quo peracto, actisque cum
suo specimine Dresdam transmissis, ibidem præfens ad
praxin admissus fuit. Cum verò ad immatriculationem
Advocatorum secundùm dictam Legem Saxonicam ulte-
riora requirantur, Nos accessit, petiitque, ut ad illa ipsi
aperiretur janua, & ad consuetum examen Doctorando-
rum admitteretur, admissus, textus ex utroque jure com-
municatos memoriter adeò doctè enodavit, & ad qua-
stiones propositas tam solidè respondit, ut unanimi con-
sensu, supremis jurium honoribus dignus judicatus sit.
Proinde cras XXIX. Aug. lectionem cursoriam ad *dist. 2.*
*Sponsalia i. ff. de sponsal. eaque finitâ Disputationem inaugu-
râlem DE DISTINCTIONE SPONSALIORVM, IN
PVBICA ET CLANDESTINA, &c. horis consuetis ha-
bebit. Ad quos actus solennes, Magnificus Dominus Re-
ctor nec non Domini Proceres & Cives Academici decen-
ter invitantur. Publicatum sub sigillo Facultatis Jurid.
XXVIII. August. MDCC XXIX.*

L.S.

(X228 2285)

VD
18

ULB Halle

3

007 436 564





1729, 18

FACULTATIS JURIDICÆ
DECANVS,

JO. PHILIPPVS

Streit, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

